



Opvs Theologicvm

In Tres Tomos Distribvtvm, In quo praecipua totius Theologiae capita
accurate pertractantur ... Adiecto ad finem Tertij Tomi Indice rerum
notabilium

Qui totam primam partem D. Thomæ, ac multa alia continet, quorum
Indicem sequens pagina dabit

Mauro, Silvestro

Romae, 1687

Q. 258. Vtrùm primus homo in creatione acceperit gratiam sanctificantem,
& virtutes infusas?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84111](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84111)

TRACTATUS XVII.

*De Gratia primi Hominis, seu de
statu naturae integra.*

QVAESTIO CCLVIII.

*Virum primum homo in creatione acceperit gra-
tiam sanctificantem, & vir-
tutes infusus.*

S. Th. qu. 95. art. 1. & 3.

1. **V**idetur non accepisse, primo, ut do-
cet Augustinus, vel quicumque
fuerit auctor Quaestionum veteris, ac noui
testamenti, quæst. 123. Adam non habuit Spi-
ritum Sanctum, ideoque Apostolus 1. ad Co-
rinth. 15. dicit, *Factus est primus Adam in ani-
mam viventem, nonissimus autem in spiritum uiui-
ficantem*; sed quicumque habet gratiam sancti-
ficantem, habet Spiritum Sanctum; ergo &c.

2. Secundo S. Augustinus lib. de corre-
ptione & Gratia, cap. 10. dicit, quod Deus sic
ordinauit Angelorum, & hominum vitam, ut prius
in eis ostenderet, quid posset eorum liberum arbitrium,
deinde quid posset gratia beneficium, iustitiaeque iu-
diciu; ergo Deus primus creauit hominem, &
Angelum cum sola naturali arbitrij libertate,
deinde dedit illis gratiam.

3. Tertio S. Augustinus lib. 2. de Gen. con-
tra Manichæos explicans illud Gen. 2. *Insuffla-
uit in faciem eius spiraculum vite*, dicit eo signifi-
cari, quod Deus animam corpori infuderit,
& mox addit; *Nondum tamen spirituales homi-
nem debemus intelligere, qui factus est in animam vi-
uentem, sed adhuc animale. Tunc enim spiritualis
effectus est, cum in Paradiso, hoc est in beata vita con-
stitutus, præceptum etiam perfectionis accepit, ut
verbo Dei cõsummaretur; sed primus homo factus
est spiritualis per gratiam; ergo primus homo
gratiam sanctificantem accepit, non cum pri-
mo conditus est extra Paradisum, sed cum
translatus est in Paradisum.*

4. Quarto magis distat natura à gratia,
quam gratia à gloria, quæ non est aliud, quam
quædam gratia consummata; sed status gratiæ
conaturaliter debet tempore præcedere sta-
tum gloriæ; ergo status naturæ debet tempo-
re præcedere statum gratiæ.

5. Quinto per gratiam fit matrimonium,
quoddam spirituale, ad quod requiritur con-
sensus recipientis gratiam, ideoque homo
adultus non consequitur gratiam sanctifican-
tem, nisi consentiat, & se ad illam disponat
per proprios actus; sed Adam conditus est in
statu adulto, & homo connaturaliter ad per-
fecte operandum indiget aliqua mora tempo-
ris; ergo Adam non accepit gratiam sanctifi-

cantem, nisi post aliquam moram temporis,
quo ad illam se disposuit.

6. Respondeo, quod Sanctus Thomas post-
quam quæst. 94. egit de statu Adam quoad
intellectum, quæst. 95. disputat de statu eiusdem
quoad voluntatem, gratiam, & meritum.
Articulo igitur primo quærit, *virum Adam
fuerit creatus cum gratia, & artic. 3. vtrum
creatus etiam fuerit cum omnibus virtutibus.*
Et quidem ut docet Suarez lib. 3. de opere 6.
dierum, cap. 17. de fide est Adam ante lapsum
habuisse gratiam sanctificantem.

7. Probatur primo ex Scriptura. Ad Eph.
4. dicitur. *Renouamini spiritu mentis vestre, &
induite nouum hominem, qui secundum Deum crea-
tus est in iustitia, & sanctitate veritatis*; sed qui re-
nouari iubetur, fuit aliquando nouus; ergo
fauimus aliquando noui, in primo nimirum
parente, qui secundum Deum creatus est in
iustitia, & sanctitate veritatis, adeoque cum
gratia sanctificante. Iustitia enim, & sancti-
tas veritatis consistit in gratia sanctificante.
Idem insinuat Apostolus alijs locis, quos affert
Bellarminus lib. 1. de Gratia primi hominis,
cap. 3.

8. Probatur secundo ex concilijs. Arausi-
canum 2. cap. 19. dicit. *Natura humana etiam si
illa integritate, in qua condita est, permaneret, nul-
lo modo se ipsam, creatore suo non adiuuante, serua-
ret. Vnde cum sine gratia Dei salutem non possit cu-
stodire, quam accepit, quomodo sine Dei gratia poterit
reparare, quod perdidit?* ergo concilium docet
nos per Christi gratiam reparare salutem, quæ
in Adamo perdidimus; sed per Christi gratiã
reparamus salutem gratiæ sanctificantis; ergo
in Adamo ante lapsum habuimus grauiam san-
ctificantem.

Tridentinum sess. 5. in decreto de pec-
cato originali, dicit: *Si quis non confitetur pri-
mum hominem Adam, cum mandatum Dei in Para-
diso fuisset transgressus, statim sanctitatem, & ius-
titiam, in qua constitutus erat, amisisse etc. anathe-
ma sit*; & paulo post: *Si quis Adæ preuocationem
sibi soli, & non eius propagini nouisse, & acceptam
à Deo sanctitatem, & iustitiam, quam perdidit, sibi
soli, & non nobis etiam eum perdidisse etc. anathema
sit*; ergo Adam ante peccatum fuit iustus, &
sanctus; sed sanctos non facit nisi Spiritus San-
ctus inhabitans per gratiam sanctificantem, ut
docet S. Basilius lib. de Spiritu Sancto ad Am-
philochium, cap. 16. ergo Adam ante pecca-
tum habuit gratiam sanctificantem.

9. Probatur tertio ex Patribus. Sanctus
Irenæus lib. 3. contra Hæres. cap. 37. Adamum
sic loquentem inducit: *Quoniam eam, quam ha-
bui à Spiritu, Sanctitatis stolam amisit per inobedi-
entiam*; sed stola sanctitatis accepta à Spiritu est
gratia sanctificans; ergo Adam ante peccatum
habuit gratiam sanctificantem.

Sanctus Cyprianus serm. 3. de bono pa-
tientie de Adamo dicit: *Nec acceptam diuini-
tus gratiam patientiæ custode seruauit, & epist. ad
Pompeium verba illa Gen. 2. Insufflauit in fa-
ciem*

ciem eius spiraculum vite, explicat de gratia Spiritus Sancti primo parenti diuinitus infusa.

Sanctus Basilius lib. de Spiritu Sancto ad Amphilochium, cap. 15. dicit: *Per Spiritum Sanctum contingit restitutio in Paradisum, reditus in adoptionem filiorum*; ergo in Adamo ante peccatum fuimus filij adoptiui, adeoque habuimus gratiam sanctificantem.

Sanctus Augustinus lib. 6. de Genesi ad litt. cap. 24. dicit nos renouari per Christum, quia recipimus quod perdidit primus homo; & infra dicit, quod Adam imaginem Dei perdidit, idest deformauit, gratiam amittendo. Idem docet pluribus alijs locis. Sanctus Cyrillus Alexandrinus lib. 2. in Ioan. cap. 3. dicit: *Fuit Adam in Paradiso, quo usque gratiam creatoris, Spiritu Sancto inhabitante, seruauit*. Idem docent Ambrosius, Nazianzenus, Chrysostomus, Sanctus Leo, Sanctus Gregorius Magnus, & alij apud Bellarminum lib. 1. de Gratia primi hominis, cap. 3. & Suarium lib. 3. de opere sex dierum, cap. 17.

10. Probatur quarto ratione. Nam Deus primis sex diebus mundum, & res omnes perfecit in suo genere, & ordine, ideoque Gen. 2. dicitur: *Igitur perfecti sunt celi, & terra, & omnis ornatus eorum, & in fine cap. 1. Viditque Deus cuncta, quae fecerat, & erant valde bona*, hoc est perfecta in suo genere; sed homo, & Angeli non sunt perfecti in ordine gratiae, nisi per gratiam sanctificantem; ergo Angelis, & homini dedit gratiam sanctificantem.

11. Dices: homo non constituitur perfectus in ordine gratiae, nisi per beatitudinem consistentem in visione beatifica: ergo allata ratio probaret, quod Deus debuisset homini ante lapsum dare visionem beatificam, quod est falsum.

Respondeo, distinguo antecedens: homo non constituitur in ordine gratiae perfectus perfectione propria viae, nisi per visionem beatificam, nego: perfectione propria termini, concedo: & nego consequentiam. Deus primis sex diebus constituit mundum, & hominem perfectum etiam in ordine gratiae perfectione propria viae, non autem perfectione propria termini: in regeneratione, hoc est in die iudicii, cum ut dicitur, *Faciet celum nouum, & terram nouam*, constituet hominem perfectum perfectione propria termini; sed gratia sanctificans pertinet ad perfectionem propriam viae, visio beatifica spectat ad perfectionem propriam termini; ergo Deus debuit homini in via dare gratiam sanctificantem, non autem visionem beatificam.

12. Supposito hoc fidei dogmate, quod Adam habuerit gratiam sanctificantem ante lapsum, quaeritur, vtrum illam acceperit in primo instanti creationis, an post aliquam temporis moram, qua per suos actus se disposuerit ad gratiam?

13. Prima sententia Magistrum in 2. dist. 24. Alexandri de Ales 2. par. quaest. 91. membro 1. art. 1. Bonauenturae in 2. dist. 29. art. 2. quaest. 2.

Scoti ibidem quaest. vnica, Aegidij in 2. dist. 4. quaest. 1. art. 4. Argentinae quaest. 1. art. 2. Marfilij, Richardi, & aliorum, quos refert Suar. lib. 3. de opere sex dierum, cap. 17. num. 5. docet Adam creatum fuisse sine gratia sanctificante, ac illam accepisse post aliquod tempus, sed ante lapsum.

14. Secunda sententia S. Thomae 1. p. q. 95. art. 1. & omnium Thomistarum, & Alberti Magni in 2. dist. 24. art. 1. & aliorum, quos refert, & sequitur Suarius loco citato, docet Adamum creatum fuisse cum gratia sanctificante, quam accepit in primo instanti creationis animae.

Dicendum cum secunda sententia: Adam creatus est cum gratia sanctificante, quam accepit in primo instanti creationis animae.

15. Probatur primo ex Scriptura. Primus locus Scripturae est. Gen. 1. Deus dicit: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*; sed nomine imaginis intelligitur natura intellectualis, nomine similitudinis intelligitur gratia sanctificans, ut explicant plures Patres, quos refert Suar. lib. 3. de opere 6. dierum, cap. 17. ergo &c.

16. Secundus locus, quo utitur S. Thomas 1. p. quaest. 95. art. 1. est. Ecclesiast. 7. dicitur, *Deus fecit hominem rectum*; sed rectitudo hominis consistebat in hoc, ut ratio esset perfecte subdita, & obediens Deo, vires inferiores essent perfecte subditae, & obediens rationi, corpus esset perfecte subditum, & obediens animae; ergo Deus creauit hominem cum his tribus subiectionibus; sed subiectio, qua ratio perfecte subditur Deo secundum intellectum, & voluntatem, consistit in fide, spe, charitate, & ceteris virtutibus infusis; ergo Deus creauit hominem cum fide, spe, & charitate, ac reliquis virtutibus infusis, adeoque cum gratia sanctificante, siquidem charitas non datur sine gratia sanctificante.

17. Confirmatur, & explicatur: nam ut arguit S. Thomas loco citato, subiectio, qua in Adamo vires inferiores erant perfecte subiectae rationi, & corpus erat perfecte subiectum animae, non erat naturalis, sed ex supernaturali dono gratiae; ergo etiam subiectio, qua ratio erat perfecte subiecta Deo, non fuit naturalis, sed per supernaturalia dona gratiae sanctificantis, & virtutum infusarum. Probatur antecedens primo ex Sancto Augustino, qui lib. 4. contra Iulianum, cap. vi. timo loquens de illa subiectione, dicit: *Gratia magna ibi erat, ubi terrenum, & animale corpus bestialem libidinem non sentiebat*. Secundo ex Dionysio, qui cap. 4. de diuinis nominibus dicit: *Naturalia post peccatum etiam in Demoniis permanserunt*; ergo si subiectio illa, qua corpus erat subditum animae &c. fuisset naturalis, permansisset in nobis post peccatum: sed non permansit: ergo non fuit naturalis. Probatur iam consequentia, quod etiam subiectio, qua ratio subdebatur Deo, esset supernaturalis, Nam subiectio, qua ratio

tio

tio subdebatur Deo, erat causa subiectionis, qua vires inferiores subdebantur rationi, & corpus subdebatur animæ; sed causa effectus supernaturalis debet esse supernaturalis: siquidem causa non debet esse ordinis inferioris, quam effectus: ergo sicut subiectio, qua corpus subdebatur animæ, erat supernaturalis, sic subiectio, qua ratio subdebatur Deo, erat supernaturalis. Probatur maior: nam ut sæpe docet Augustinus, quandiu ratio manebat Deo subiecta, inferiora ei subdebantur, & ut dicit lib. 13. de Ciuit. cap. 13. *Posteaquam præcepti facta transgressio est, confestim gratia deserente diuina, de corporum suorum nuditate confusi sunt. Senferunt enim motum inobedientie carnis suæ, tanquam reciprocæ penam inobedientie suæ; ergo ut arguit S. Thomas, si deserente gratia, soluta est obedientia carnis ad animam, gratia erat causa obedientie carnis ad animam.*

18. Tertius locus est: Ad Coloss. 3. dicitur: *Expoliantes vos veterem hominem, & induentes nouum eum, qui renouatur in agnitionem secundæ imaginem eius, qui creauit illum;* ergo Apostolus iubet nos renouari secundum imaginem Dei, in qua creati sumus; sed renouamur per gratiam; ergo in Adamo creati sumus in statu gratiæ. Ideo S. August. lib. 3. de Gen. ad litt. cap. 20. dicit: *Sicut post lapsum peccati homo in agnitione Dei renouatur secundum imaginem eius, qui creauit illum, ita in ipsa agnitione creatus est, antequam delicto veterasceret, unde rursus in eadem agnitione renouaretur.*

19. Probatur secundo ex Concilio Araucano 2. quod can. 19. dicit: *Natura humana etiã in illa integritate, in qua erat condita, permaneret, nullo modo se ipsam, creatore suo non adiuvante, seruaret;* ergo docet naturam conditam esse cum integritate; sed integritas præcipue consistit in gratia; per quam ratio subdebatur Deo; ergo natura condita, & creata fuit cum gratia sanctificante.

20. Probatur tertio ex Patribus. Augustinus lib. 12. de Ciuit. cap. 9. loquens de angelis dicit: *simul in eis erat condens naturam, & largiens gratiam;* ergo etiam simul condidit animam rationalem Adami, illique largitus est gratiam. Sermone quodam contra Maximum, dicit: *Adam factus est homo: potuit esse aliud, quam factus est. Factus est enim iustus, & potuit esse iniustus;* & serm. 11. de verbis Apostoli: *Ecce bonus factus est homo, & per liberum arbitrium factus est malus;* & serm. 14. *A Deo bona est instituta natura; sed bonitas, & iustitia, de qua loquitur Augustinus, est gratia sanctificans, quam amisit per peccatum, & quam recuperamus per Christum;* ergo Augustinus docuit Adamum creatum esse cum gratia sanctificante. Lib. 14. de Ciuit. cap. 11. dicit: *Fecit Deus, sicut scriptum est, hominem rectum, ac per hoc voluntatis bonæ; sed August. nomine voluntatis bonæ intelligit charitatem, ideoque lib. de Gratia Christi, cap. 22. dicit: Quasi verò aliud sit bonæ voluntas, quam charitas, quam Scriptura nobis esse gloriatur ex Deo; ergo ex Augustino Adam crea-*

tus est cum charitate, & gratia. Basilius in psalm. 48. loquens de creatione hominis dicit: *Insufflauit enim in faciem, hoc est partem aliquam propria gratia apposuit homini, ut per hanc sibi impressam similitudinem, eum, cui similis est, agnosceret.*

21. Nazianzenus orat. 42. quæ est secunda post Pascha, dicit Deum creasse hominem spiritum, & carnem, spiritum propter gratiam &c. Idem ex Nazianzeno docet Damascenus lib. 2. de fide cap. 12.

22. Cyrillus Alexandrinus lib. 1. de Adoratione in spiritu loquens de Adamo dicit: *Posteaquam propria natura rationibus hoc animal, scilicet homo, absolutum fuit, opifice Deo, statim illius similitudine præditum est. Impressa enim est in illo diuina imago naturæ, inspirato Spiritu Sancto. Spiritus autem Sanctus inspiratur per gratiam sanctificantem. Lib. 2. in Ioann. cap. 3. Ab eodem (scilicet Moyse) didicimus spiritu ad imaginem diuinam sigillatum hominem fuisse. Simul enim & vitam creatura Spiritus immisit, & characterem, ut Deum decet, impressit, & sic fuit in Paradiso, quousque gratiam Creatoris, Spiritu Sancto inhabitante, seruauit;* & lib. 11. cap. 25. dicit in illis verbis, *Inspirauit in faciem eius spiraculum vite, significasse Moysem, non absque sanctificatione spiritus animam homini datam, nec à diuina natura penitus destitutam.*

23. Sanctus Prosper in Resp. ad octauam obiectionem Gallorum loquens de donis iustitiæ, & gratiæ dicit. *Neque hæc dona ita ex Deo esse opinemur, ut quia ipse naturæ nostræ auctor est, per conditionem iam hæc contulisse videatur. Qui a dedit quidem ab initio hanc homini facultatem, sed omnes eam in illo amisimus, in quo omnes peccauimus. Plura alia testimonia Patrum videri possunt apud Suarium lib. 3. de opere sex dierum cap. 17.*

24. Probatur quarto ratione. Nam Deus debuit creare hominem aptum ad finem, propter quem illum creauit: sed creauit hominem propter finem supernaturalem; ergo debuit creare hominem aptum ad finem supernaturalem; sed homo per gratiam constituitur aptus ad finem supernaturalem, per earentiam verò gratiæ constituitur ad illam ineptus; ergo &c.

25. Inferitur, quod ut docet Sanctus Thomas 1. p. qu. 95. art. 3. Adam creatus est cum omnibus virtutibus per se infusis. Probatur primo. Nam ex gratia, tanquam ex radice, sequuntur omnes virtutes per se infusæ, tum theologicæ, tum morales, ut docent communiter Theologi; ergo quandoquidem Adam creatus est cum gratia, creatus est cum omnibus virtutibus per se infusis.

26. Probatur secundo ratione, quam affert Sanctus Thomas loco citato. Nam ut dicitur Ecclesiast. 7. *Deus fecit hominem rectum;* sed ex dictis reſtitudo primi status consistebat in hoc, quod dum ratio erat subiecta Deo, vires inferiores erant subiectæ rationi; ergo Adam fuit ita creatus, ut ratio esset Deo

su.

subiecta, & vires inferiores essent subiecta rationi; sed virtutes sunt habitus, quibus ratio secundum intellectum, & voluntatem constituitur subiecta Deo, ac vires inferiores subiacentur rationi; ergo Adam creatus fuit cum omnibus virtutibus per se infusis.

27. Addit Sanctus Thomas virtutes, quæ ex sui ratione non includunt imperfectionem, & virtutes, quæ includunt imperfectionem non repugnantem perfectioni status innocentiae, fuisse in Adamo ante peccatum, tum quoad habitum, tum quoad actum; & quia charitas, & iustitia non includunt imperfectionem, fides, quæ est eorum, quæ non videntur, & spes, quæ est eorum, quæ non habentur, includunt imperfectionem non repugnantem statui viatoris, cui non debebatur visio Dei per essentiam, nec possessio finalis beatitudinis; ideo fides, spes, charitas, & iustitia fuerunt in Adamo viatore ante peccatum, tum quoad actum, tum quoad habitum. At verò virtutes, quarum actus supponit imperfectionem repugnantem perfectioni status innocentiae, fuerunt ante peccatum in Adamo quoad habitum, non quoad actum. Et quia poenitentia, cuius actus est dolor de peccato commisso, & misericordia, cuius actus est dolor de miseria aliena, in suo actu includunt, vel supponunt imperfectionem repugnantem perfectioni status innocentiae, in quo sicut non erat vllum peccatum, sic non erat vlla miseria, ideo poenitentia, & misericordia fuerunt ante peccatum in Adamo quoad habitum, non quoad actum. Habebat nimirum Adamus habitus poenitentiae, & misericordiae, quibus erat ita dispositus, vt si peccatum praecelisset, doleret, & si miseriam in alio videret, eam conaretur repellere, eo pacto, quo vt dicit Aristoteles lib. 4. Ethic. cap. ultimo vir virtute praeditus habet habitum verecundiae, quo verecundaretur, si turpe aliquid committeret. Sed hoc magis explicabitur in tractatu de Poenitentia. Videri possunt quæ diximus qu. 173. examinantes vtrum Angeli creati fuerint in gratia.

28. Ad 1. ex auctoritate libri questionum veteris, & noui testamenti, respondeo, quod ille liber non est Augustini, sed alicuius haeretici antiquioris Augustino, vt optimè probat Bellarminus lib. de Scripturis ecclesiasticis, obseruatione in 4. tomum Augustini, & in controuersijs lib. de Gratia primi hominis cap. 3. Hic auctor disertè refellit eos, qui dicunt Adamum accepisse Spiritum Sanctum, & Filium Dei fuisse per adoptionem, & eam adoptionem per Adami inobedientiam perditam nos per Christi obedientiam, & merita recuperare: quæ sententia non est, vt auctor ille docet, Patrum quorundam simplicium, sed doctissimorum Græcorum, & Latinorum, imò est dogma fidei, quod colligitur ex Apostolo ad Ephesios 4. vt ex Suario diximus num. 6. Afferit pro suo errore ille auctor Apostolum 1. ad

Corinth. 15. dicentem: *Factus est primus Adam in animam viuentem, nouissimus autem in spiritum viuificantem.* Dicendum, quod eo loco Apostolus differit de resurrectione corporum, ac dicit prius esse corpus animale, quod accepimus ab Adamo, deinde corpus spirituale, quod post resurrectionem accipimus à Christo. De corpore animali explicat illud Gen. 2. *Factus est Adam in animam viuentem*, hoc est accepit corpus animale indigens cibo, & potu. De corpore spiritali, quod Christus accepit in resurrectione, subiungit: *Factus est nouissimus Adam in spiritum viuificantem*, hoc est accepit corpus spirituale, quod non subiaceret fami, siti, nec vlli corporali necessitati. Ita explicant hunc Apostoli locum Chrysostomus, Theophylactus, Ambrosius, Anselmus, S. Thomas, & alij in Commentarijs, ac S. Augustinus epist. 146. & lib. 13. de Ciuit. cap. 2. & 13. & S. Thomas 1. p. q. 95. art. 1. ad 1. quos refert Bellarminus loco citato. Licet Adam habuerit corpus animale, hoc est subiaccens necessitatibus fami, ac siti, tamen habuit animam spiritualement, & habuit Spiritum Sanctum, & gratiam sanctificantem.

29. Ad 2. S. Thomas 1. p. quæst. 95. art. 1. ad 3. ex S. Augustino verbis citatis docet Deum sic ordinasse angelorum, & hominum vitam, vt prius eos posuerit in statu viæ sine gratia confirmante, vt appareret, quid in eis posset liberum arbitrium non confirmatum in gratia, in quo statu angeli boni gratiam conseruauerunt, angeli mali, & Adam gratiam amiserunt: deinde posuerit in statu termini, in quo sancti beneficio gratiae confirmantis redduntur prorsus impeccabiles, damnati iusto Dei iudicio omni gratia destituti, perpetuo peccant; ergo ex ijs verbis non probatur angelos, & Adam creatos fuisse cum sola naturali arbitrij libertate sine gratia.

30. Ad 3. S. Augustinus eo loco non describit ordinem rerum gestarum, nec significat prius tempore hominem accepisse vitam animalem per infusionem animæ, deinde vitam spiritualement per infusionem gratiae, sed solum describit ordinem narrationis Moysis, ac significat Moysen prius describere infusionem animæ, per quam Adam accepit vitam animalem, deinde infusionem gratiae, per quam accepit vitam spiritualement, & supernaturalem. Moyses igitur iuxta explanationem Augustini per illa verba *insufflauit in faciem eius spiraculum vite*, significat Deum infudisse Adamo animam, per quam accepit vitam animalem, ideoque ex ijs nondum spiritualement hominem debemus intelligere. Dum verò deinde idem Moyses dicit, Deum constituisse hominem in Paradiso, hoc est in beata vita, ac dedisse illi præceptum perfectionis, significat Deum infudisse Adamo gratiam, & vitam spiritualement, ideoque ex illis verbis debemus intelligere hominem accepisse vitam spiritualement gratie, licet homo non prius tempore, sed simul acceperit vitam

vitam animalem per infusionem animæ, & vitam spirituales per infusionem gratiæ, vt pluribus alijs locis S. Augustinus docet. Suarius lib. 3. de opere sex dierum, cap. 17. num. 17. dicit, Augustinum per ea verba non negare Adam simul cum infusione animæ accepisse vitam spirituales gratiæ, sed solum negare, quod acceperit vltimam perfectionem gratiæ conuenientis suo statui, quam tunc solum accepit, cum constitutus est in Paradiso.

31. Ad 4. concedo maiorem, & minorem, ac nego consequentiam. Ideo homo debuit prius constitui in statu gratiæ, quam in statu gloriæ, quia prius debuit gloriam mereri per actus exercitos in statu gratiæ, deinde gloriam consequi; sed non prius debuit mereri gratiam per actus exercitos in statu puræ naturæ, deinde gratiam consequi, imò repugnat, vt quis per actus exercitos in statu puræ naturæ mereatur gratiam supernaturalem, vel se ad illam disponat; ergo non prius tempore debuit constitui in statu puræ naturæ sine gratia, deinde constitui in statu gratiæ, sed debuit accipere gratiam in primo instanti creationis animæ.

32. Ad 5. Vt refert Suarius lib. 3. de opere sex dierum, cap. 19. Sotus lib. 1. de Natura, & Gratia cap. 5. docet Adamum in primo instanti accepisse gratiam, & iustitiam sine proprio motu voluntatis, quo se disposuerit ad gratiam. A fortiori id dicunt Alensis, Henricus, Capreolus, & alij, qui docent nec angelos in primo instanti creationis se disposuisse ad gratiam, vt refert Suarius lib. 5. de angelis, cap. 8. num. 3. At S. Thomas 1. par. quæst. 95. art. 1. ad 5. docet Adamum in primo instanti creationis se disposuisse ad gratiam sanctificantem per proprios actus. Deus igitur ita creauit Adam, vt in primo instanti per auxilia gratiæ ipsum efficaciter excitaret ad credendum, sperandum, & amandum Deum creatorem suum: Adam verò diuinæ excitationi libere consentiens, credidit, sperauit, & amauit, & sic se disposuit ad gratiam sanctificantem, & virtutes infusus, quas in eodem instanti temporis, sed in posteriori signo naturæ accepit.

33. Hæc secunda sententia, quam sequitur Suarius loco citato, est multo probabilior. Probatur. Nam Adam creatus est in statu perfectò, ac adultus; ergo debuit illi dari cognitio propria adulti, ac gratia debuit dari vt datur adultis; sed gratia datur adultis dependenter à propria dispositione; ergo Adamo gratia debuit dari dependenter à propria dispositione. Confirmatur ex Augustino, & alijs Patribus, qui dicunt Adamum non solum fuisse creatum cum gratia, sed etiam cum cognitione, & amore actuali Dei. Bernardus etiam sermone de coena Domini dicit primum parentem fuisse factum domesticum Domini, eiusque cognitione, & amore ditatum. Athanasius orat. contra Idola dicit Deum creasse hominem, tribuendo ei suæ æternitatis intellectum, & cognitionem &c.

34. Dum opponitur, quod homo ad perfectè operandum indiget aliqua mora temporis &c. respondeo, quod homo ad perfectè operandum tunc indiget mora temporis, cum ipsemet debet per motum localem excitare phantasmata; sed primus homo fuit à Deo creatus in statu perfectò, & cum phantasmatis, & speciebus intelligibilibus excitatis; ergo statim potuit perfectè operari, & dependenter ab auxilijs gratiæ excitantis se dispo- nere ad gratiam sanctificantem.

QVAESTIO CCLIX.

*Vtram in Adamo ante peccatum darentur
passiones appetitus sensitui, & pars infe-
rior esset perfectè subiecta superio-
riori, & appetitus sensituius
esset perfectè subiectus
rationi?*

S. Tho. quæst. 95. art. 2.

1. **V**identur in Adamo non fuisse passiones appetitus sensitui. Primo enim corpus Adami fuit impassibile: ergo etiam anima, ac proinde caruit passionibus appetitus sensitui.

2. Secundo per virtutem moralem comprimuntur passiones appetitus sensitui; sed in Adamo fuit perfectà virtus moralis: ergo.

3. Tertio videtur in Adamo ante peccatum pars inferior non fuisse perfectè subiecta superiori, & appetitus sensituius non fuisse perfectè subiectus rationi. Adam enim non poterat impedire, ne proposito obiecto visibili, potentia visiva illud videret, ne proposito obiecto audibili, potentia auditiva illud audiret &c. ergo neque poterat impedire, ne proposito obiecto sensibili iucundo, puta cibo ad vescendum suauis, appetitus sensituius illud appeteret; ergo appetitus sensituius non erat perfectè subiectus rationi, ac voluntati. Probatur antecedentes. Ideo Adam non poterat impedire, ne proposito obiecto visibili, & audibili, potentia visiva, & auditiva illud videret, & audiret, quia potentia visiva, & auditiva sunt potentiae necessariae, & naturales, quæ necessario feruntur in sua obiecta sufficienter proposita; sed etiam appetitus sensituius est potentia necessaria, & naturalis: ergo.

4. Secundo Gen. 3. dicitur: *Vidit mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit;* ergo aspectus pomi excitauit in muliere desiderium illius comedendi, quod desiderium præuenit consensum voluntatis: ergo appetitus sensituius in muliere etiam ante peccatum non erat perfectè subiectus rationi.

5. Respondeo, quod vt docet S. Thomas hoc art. 2. quæst. 95. ex passionibus appetitus sen-